

Fl. 55 (n)

Zb  
1342

X 2047330

RECTOR  
ACADEMIÆ LIPSIENSIS  
FUNUS,  
VIRI  
*Plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi*  
DOMINI  
**JOACHIMI  
FELLERI,**


S.S. Theol. Licentiati, Poëf. Prof. Publ. longè cele-  
berrimi, Maj. Principum Collegii Collegati, Nationis Bavariae Senio-  
ris, Academiæque Bibliothecarii meritissimi,

*Indicit,*

**& ut ad exhibendum supremum officium.**

*Post III. Pomeridianam frequenter conveniant,*

**PROCERES, CIVESQVE ACADEMICOS,**  
qua fas est fieri, humanitate  
**invitat.**



*An Ant. Ristern.*



## Mmortalitatem sibi eruditos qvosvis , maximè tamen

Poëtas Carminibus suis , merere , vulgatissimum est , notiusqve , quām ut confirmandæ rei adducendis testimoniis opus sit . Hoc diutius enim omnium fermè suffragiis victurus quis esse existimat , qvò plura magisqve ad perfectionem accendentia carmina compositi . Utqve Poëta quisqve omnium placentissima eruditis legenda communicavit , ita à moriendi necessitate , pereundiqve periculo creditur esse remotissimus . Fuerunt , qui monumenta Carminibus sibi erexerunt ære perenniora . Fuerunt , qui opus exegere , qvod nec Jovis ira , nec imbre exedere posse visi sunt . Qvis Poëtarum de laudibus sibi post fata evenituris verba non facit ? quis non de vita ad mundi usqve finem producenda prosperrima qvæqve pollicetur ? De qvâ verò vivendi felicitate loqvantur , non vani simus , si qværamus . Novimus enim , tria immortalitatis genera deprehendi ; contingereqve posse , ut vel corpus humanum nunquam moriatur , vel fama superstes maneat , vel animus etiam , licet corpus intereat , perpetuò tamen existat & vivat . De corporis immortalitate cur credam loqli Poëtas , causâ non est . Vix enim quisqvm inveniatur , qui de brevitate vitæ facilitateque , qvâ ad extrema properet , instabilisqve adeò sit , non conqueratur . Consentaneumqve non est , de perpetuitate rei sibi spem fecisse viros sapientes , qvam fluxam adeò caducamqve professi perpetuò erant . Neqve de immortalitate animi cogitasse ipsos , existimo . Tametsi exploratum enim sit , multis persvasum fuisse , animos non simul cum corpore interire , esseq ; locum , qvò , simul à corpore solvantur , perveniant , vitam nunquam desitaram acturi . At novi tamen etiam , & multos inter Poëtas fuisse , à qvibus , qvod animi à corporibus separati extra domicilium suum vivant , negatum est : & loca , in qvibus de immortalitate sua scribunt , ita comparata esse , ut vix concedant , qui diligenter inspicere excutereqve velit , eum sententiam sumere , de aliâ re , qvâ de famæ constantiâ loqli scriptores , qvippe qvam credunt eruditis scriptis suis sibi conciliâsse , sicqve dignos se constituisse , qui , qyamdiu in toto qvidem , maximè tamen humaniori terrarum orbe , hominēs extituri sint , amplissimis laudibus præconiisque nullâ invidiâ cupiditateqve temerandis afficiantur . Sed hæc de Poëtis gentilibus . Idem verò de Christianis etiam , modò ad sacrorum nostrorum formulam qvædam emendentur , pronunciandum est . Brevitati qvidem vitæ àqvè ut alii homines obnoxii sunt , & corpora mox in cinerem pulveremqve convertenda circumgestant . Sed ut tamen ad mitigandas varias calamitates , qvas in his terris subinde sentiunt , oculos ad alteram vitam flectunt , in qvâ animi qvidem , simul ac ex animi custodia evolant , soli , cum corporibus autem , qvando ex terris pulvereqye , in qvô sepulta jacuerunt , redibunt rursus , non perpetuò vivent solum , sed non exprimendis qvoqve voluptatibus perfundentur ; ita & eruditis suis carminibus , licet nunquam captaverint , immortalitatem conseqvuntur , qvæ memoriam ut carminum , ita & ipsorum usqve ad totius universitatis terminos in colum illibatamqve perducet . Verissimahæc esse exemplō absolutissimō confirmat Poëta omnium clarissimus planeq ; incomparabilis Vir Plurimū Reverendus , Amplissimus atqve excellentissimus DN. JOACHIMUS FELLERUS , Sacro-Sanctæ Theologiæ Licentiatus , Poëses Professor Publicus longè celeberrimus , Facultatis Philosophicæ Assessor , Collegii Maj. Principum Collegiatus , Nationis Bavariæ Senior , & Academiæ Bibliothecarius meritissimus . Qui licet immortalitatis corporis , tantum abfuerit , ut particeps factus sit , ut immaturò potius & in opinatò mortis genere nunc sublatum queramur , eò certius tamen ad perpetuitatem vitæ , qvam speramus , propriam pervenisse censendus est , qvò diviniori sacramentò militiæ Christianorum iniciatus , & accuratori disciplinâ educatus fuit , majori integritate vitam transfigit , infucatiōriqve fide animam exhalavit ; hocqve certiorem famam post fata expectat , qvò & splendidiori vitæ generi admotus fuit , & exactius , qvicqvid gesit , fecit . Qvare & facile capitur , qvando consuetudine receptâ in hâc chartâ , qvæ in vitâ ipsi contigerunt , exhibenda sunt , sex præcipue capita , primum nativitatis , deinde educationis , deinde honorum , deinde matrimonii , deinde morum , tandemque mortis spectanda esse . Natus est Cygnæ , die XXX. Novembr. Anni M. DC. XXXIX. Parentibus Christianis honestissimisqve , Patre qvidem Virō integerrimō , CHRISTIANO FELLERO , Cive & Pannifice urbis dictæ , Matre verò Fœminâ virtutibus ornatisimâ SABINA ,

SABINA, Viri PI. Reverendi Praclarissimiqve DN. M. JOACHIMI OEHL-MANNI, Diaconi Cygneorum meritissimi filiâ. Educatus & domi ab amantissimis Parentibus, & in Scholâ Patriâ à Magistris fidelissimis, & in Academia Lipsiensi à Professoribus celeberrimis fuit. Non solùm enim à Parentibus ipsis rudimenta pietatis maturè percepit, sed in scholas quoque deductus est, ut perfectiora fierent, qvorum fundamenta ipsis jecerant. In qvibus ut Præceptores nactus est fidelissimos, CRELIUM, THUMLINGIUM, DECCERUM, ZECHENDOERFERUM, DAUMIUMqve, ita & ductu ipsorum dici satis non potest, qvòd successu & ad omnes virtutes & eruditionem consequendam, via monstrata sit, & ipse etiam in honestarum rerum studiis profecerit. Cumqve vix tredecim annorum adolescens Passionis Dominicæ historiam in versus Latinos transtulisset, ut aliorum Magistrorum, ita celeberrimi in primis DAUMII amorem hâc re adeò in se concitavit, ut & filii instar habuerit, & qvâ viâ progredi in addiscendis humanioribus literis deberet, dux integerrimus monstraverit. Qvâ diligentia & dexteritate eos in literis profectus cepit, ut qui ad sublimiora studia se conferret, dignissimus deprehenderetur. Elegit autem hanc ipsam Academiam. Qvòd cùm commendatione sèpius jam dicti DAUMII accessisset, statim ac huc se contulerat, summis clarissimisqve non solùm Philologis Professoribusqve, ut CASPARI BARTHIO, D. THOMÆ REINESIO, D. RIVINO, D. RAPPOLTO, FRANCKENSTEINIO, THOMASIO innotuit, sed omnium etiam auditor fuit, & à non unò beneficia multa accepit. Ne plura enim commoremus, vel unum illud satis egregium est, qvòd Celeberrimi THOMASII Bibliotheca, qvòcunqve tempore volebat, patuerit, ad qvam aditum consecutus fuit, qvod, quem modo laudavimus, Viri, re angustâ domi coactus primùm famulum agebat, mox liberis informandis Pædagogus præficiebatur. Ad honores accessit, cum Mense Januario An. M. DC. LX. Magistri Philosophiæ insignia, favore nominatorum jam supra Professorum & invitatus & commendatus, ambiret & acciperet. Ex qvòd tempore & in disputationibus orationibusqve eruditionem ostendebat, & Collegiis in variis disciplinis habitis de studiosa juventute egregiè meritus est. Qvibus rebus cùm magis magisqve inclaruisset, factum est, ut à Nobilissimo Amplissimo Urbis hujus Senatu Collega Tertius Scholæ Nicolaitanæ constitueretur, in qvòd munere fideliter, & cum insigni scholasticæ juventutis fructu administrando perseveravit usq; D. RAPPOLTO à Professione Poetica ad Theologicam vocatò ipse in Academia Poëtas publicè interpretari, auspiciis POTENTISSIMI SAXONIÆ ELECTORIS, JOH. GEORG. II. gloriofissimæ recordationis juberetur. In hòc verò munere summâ cum laude versatum esse, documenta habemus qvamplurima. Quid aliud enim honores subinde accepti novi, qvid gratia Potentissimorum Principum summa, nisi indicia, officium fecisse beneficiis mactatum, qvæ in nullum conferuntur nisi dignum, præcipue ab iis, qui profundimâ, qvâ pollut, sapientia judicant, non tam bona exhibere, qui beneficis sit, ut pertinentibus gratum faciat, qvam injuriis Remp. onerare, qvod in indignos dispertiat, qvibus boni excitari poterant, ut de Rep. eò majori diligentia mererentur. Inter honores verò fuit, qvòd Bibliothecæ Paulinæ Præfectus fuit, qvòd annò M. DC. LXXXI. inter Collegiatos, qvos vocant, Maj. Princip. Collegii reciperetur, qvòd singulari POTENTISSIMI ELECTOR. indultu ex Natione Misnicâ ad Bavanicam transferretur. Sed & ambulatoria, qvæ vocantur, munera cùm in Academia tûm Facultate Philos. non semel administravit. Nationi enim Bavariae insertus Rectoratum Academiæ ter, semel per æstatem M. DC. LXXX. iterum M. DC. LXXXIV. tertiumqve M. DC. LXXXVIII. quantum potuit fideliter, sepositoqve privatorum commodorum studio, gesit. In Facultate autem Philosoph. & Decanatu & Pro-Cancellariatu bis, utròq; munere Nationis semel Misnicæ & semel Bavariae Collega, Decanatu qvidem per æstatem anni M. DC. LXXIV. & per hyemem M. DC. LXXXIV. & LXXXV. Pro-Cancellariatu autem anno M. DC. LXXVIII. & hòc ipso M. DC. XCI. functus fuit. Inter Principes, qvorum gratiam Carminibus elegantissimis promeruit, nominari debent INVICTISSIMUS IMPERATOR LEOPOLDUS, POTENTISSIMI ELECTORES SAXONIÆ & BRANDENBURGICUS, MAGNUS DUX HETRURIÆ, pluresqve Principes Viri que Illustres alii. Venio ad matrimonia, in qvæ duas uxores duxit, unam, virginem omnis virtutis genere ornatissimam, ANNAM DOROTHEAM, celeberrimi Prof. D. FRIDERICI RAPOLTI filiam, alteram, Virginem non minus nobilem excellente-

lenteque, JOHANNAM, viduam jam confernatissimam, supra memorati DN.  
 Prof. THOMASII filiam. In priori matrimonio d. XXVIII. Augusti anni M.DC.  
 LXX. inito triplici uxor favissima foetu gravida facta fuit. Primâ vice enixa est filium CHRISTIANUM in primis jam annis extinctum. Alterâ vice filium peperit JOACHIMUM FRIDERICUM, Philos. & Bon. Art. jam Baccalaureum. Tertius foetus excludi non potuit, matremque inter pariendi labores deficientem secum in sepulcrum traxit. Alteram Conjugem anno M. DC. LXXVII. d. XXVII. Novembr. accepit. Cum quâ usque ad hoc tempus per XIV. annos vixit, Pater factus duorum filiorum, JACOBI FRIDERICI, & JOHANNIS FRIDERICI, non die postquam nati erant, ex vita iterum discedentium, duarumque filiarum, JOHANNÆ RACHELIS, & SABINÆ ELISABETHÆ viventium adhuc, quibus in honorem Dei educandis Divinam benedictionem calidissimis precibus apprecamur. De moribus hoc pauciora proferemus, quod manifestiores sunt ipsi, paucioresque latent. Vix enim inniri putamus, quem fugiat, quam bonus, candoris amans, inserviendi aliis cupidus, erga DEUM humilis, sibi abjectus, & in offensionibus ad exorandam dandamque veniam proclivis extiterit. Juvandis pauperibus & egenis multa saepiusque plura, quam facultates sinebant, largitus est, multiique, imprimis ex indigentioribus, inveniuntur, qui cum magnâ gratiarum actione beatè Defuncto acceptum referunt, quod in publicis munib[us] constituti jam vivunt. Ex quâ & causâ inopinata Viri mors, quotquot perspectum eum habent, omnibus tristis deflendaque maximè videtur. Cujus hæc ratio fuit. Superiori Sabbathi die, qui in IV. Aprilis incidebat, habitis cum conuge filiabusque precibus vespertinis in lectum se contulit. Horâ verò matutinâ II. semisomnis, ut in more habuit, ex lecto surrexit. Cumque à somno ita nondum excitatus forte ad fenestram depresso valde, accessisset, Divinâ factum permissione est, ut de fenestrâ lapsu in caput tribus vulneribus cranium concussum lœdente decideret. Evidem statim, & uxor lapsu animadvertisens & domestici simul adfuerunt, & mox Medicus & Chirurgus accersiti, qui & auxiliô vicinorum aliorumque adjuti vulneratum sustulerunt, & quibus opus erat medicamentis, ea adhibuerunt. Sed gravitate tamen simul lapsus consideratâ de recuperanda valetudine desperatum fuit. Itaque & ipse, ut rationis usum non amiserat, ad beatam mortem egregiè se præparavit, & vocato Confessionario peccata confessus, & S. Eucharistiâ pastus refectusque, & cantionibus precibusque, præeuntibus cum Confessionario tūm assistentibus Collégis Professoribus, aliisque vicinis spiritum fidelissimis Cœlestis Patris manibus commendans, usque sequenti Lunæ die horâ matutinâ XL. qui omnibus in hâc vitâ expectandus est, discessus à corpore animi placidissime ipsi eveniret. Habetis, quæ de nativitate, educatione, honoribus, matrimonio, moribus, morteq[ue] Beatisimi Viri nos dicturos receperamus. Ex quibus quæ de immortalitate Poëtis seqvendâ præfati sumus planè jam constare existimo. De perpetuitate corporis nihil sperandum est. Mortuus enim est, cum nondum ad senectutem pervenit. Perpetuam famæ durationem ipsum secuturam, quæ fecit & adeptus est, ambigere non sinunt. Sed hæc nos nunc non moratur. Christiani sumus, indeque ad nullam rem, quæ in hâc vitâ terminatur, contendimus. Benè est, quod firmâ fiduciâ nitimus, ad vitam pervenisse Beatisimi Viri animum, quæ prius non accipitur, quam quicquid habemus corruptibilitatis, depositum, hocque diuturnior est, quod magis exploratum habemus, quod tum demum contingat, quando ad sedes pervenimus, quæ in perpetuum durat. Sed novimus etiam, inchoatam hanc perpetuitatem nondum perfectam esse, consummatumque iri, quando post resuscitationem anima domicilium corporis rursus ingredietur. In cuius rei expectationem eò sanctius corpus adservandum erit. Hocque consilio solenni ritu hodiè post III. pomeridianam sepulcro committemus. Ad quas exequias condecorandas, ut Cives Proceresque Academicí freqventes convenient, his ipsis, ut fas est, fierique debet, rogamus atque monemus. Videlis quam multæ, & quas saepè non putemus, ad mortem pateant viæ. Sapienter igitur fecerint, qui ad omnes casus se præparent. Quod aut insigniter fallimur aut hâc occasione egregiè potest fieri, maximè, cum hæc solennitas non longè ab horâ abfutura sit, quæ memoriam sepulturæ Christi quotannis recolimus. P. P. die X. Aprilis, memoria mortis Christi hoc anno sacro,

A. R. S. M. DC. XCI.

Literis, CHRISTOPHORI FLEISCHERI.

FR 55 (n)

Zb  
1342

X 2047330

RECTOR  
ACADEMIÆ LIPS  
FUNUS  
VIRI  
*Plurimum Reverendi, Amplissimi at*  
DOMINI  
JOACH  
FELLE

S.S. Theol. Licentiati, Poëf. Prof.  
berrimi, Maj. Principum Collegii Collegiati, Na  
ris, Academiæque Bibliothecarii me

*Indicit,*  
& ut ad exhibendum supremus  
*Post III. Pomeridianam frequenter*  
PROCERES, CIVESQVE AC  
qua fas est fieri, humanitas  
invitat.



An Ant. Ristom.

